

**05**

**A**

**423**





IN NOMINE JESU.  
DISCUSSIO  
CONTROVERSIAE  
HODIERNO TEMPORE INTER ECCLE-  
SIAS ORTHODOXAS ET REFORMATOS  
COETUS AGITATAE  
DE  
UNIONE PERSO-

NALI,  
QVAM  
DISPUTATIONE XI, carptim expositam  
SUB PRÆSIDIO

VIRI ADMODUM REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLIS-  
SIMI, ET EXCELLENTISSIMI,

DN. ABRAHAM CALOVII,  
Doctoris Theologi & Profess. Publ. in florentissimâ  
Leucorea longè celeberrimi, Ecclesiæ ibidem Pastoris  
vigilantissimi, Consistorii Ecclesiastici Assessoris Gra-  
vissimi, & Circuli Electoralis Superintendentis  
Generalis optimè meriti.

Domini & Patroni summi, Præceptoris sui optimi,  
A. D. 3. Mai: in Auditorio Majori, Horis matut.

Examini proponit publico

M. HIERONYMUS MULLER, Hamburgens.

---

VVITTEBERGÆ  
LITERIS JOHANNIS HAKEN, An. 1656.

UNIONE PERSO



05 A 423

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



I. N. J.  
COLLEGII ANTI-CALVINIANI

DISPUTATIO XI.

De

UNIONE PERSONALI.

QVÆSTIO I.

Num post factam unionem personalem Divinae & hu-  
manæ naturæ, totus λόγος ita intrâ carnem existat, ut to-  
tus etiam sit extra carnem suam?

Respond  
M. Hiero-  
nymo  
Müllero,  
Hamb.

Calvinianorum de unionem personali doctrinam,  
summâ laborare impietate, ac speculationibus humanæ ra-  
tionis adversus divina pugnare oracula, ut manifestum est sa-  
tis, ita dolendum maximè. Impia est, & verbo Dei contraria, dū  
pessimè sentit, de sublimi unionis personalis mysterio, quod est  
ὑπὲρ ἑνὸς ὑπὲρ λόγον, καὶ πᾶσαν κατάληψιν. Illud ita describens, ut  
λόγον qui humanam assumpsit naturam, non minus extra naturam  
humanam esse contendat, quàm in naturâ humanâ, to-  
tamq; naturam λόγος esse & intrâ & extrâ corpus suum post  
factam unionem asserat. Sic docet Matth. Martinus in Men-  
tzero Antinuthet. c. 2. p. 35. seqq. Lud. Crocius Apol. disp. 13. p. 377.  
& Georg. Sohnius in Exeg. Aug. Confess. art. 3. p. 225. qui totam  
naturam λόγος esse extra corpus suum, statuit. Item Pezel. p. 35. seqq.  
in Demonstr. adversus D. Hunnium utrumq; verum esse, scribit:  
Et quod λόγος totus in carne sit per unionem bypostaticam, & quod  
idem λόγος totus sit extra carnem, per infinitatem essentia, nullo inclu-  
sam, nullo loco exclusam. Non autem in privatorum scriptis solū  
hec legitur σχολιοδοξία; sed publica etiam pronunciant eandem  
ac propugnant: uti videre est, ex Admonitione Neostadiensium,  
Confessione Palatini, & Catechesi Palatinâ Heidelbergensi.  
Quorum scriptorum, quæ huc spectant, formalia legantur ver-  
ba, in Examine Doctrinae publ. & Syncretis. Eccles. Reform. de Per-  
sonâ Christi, Admodum Reverendi & Magnifici Dn. Præsidis, Patro-  
ni ac Promotoris mei piè venerandi. sect. 2. art. 1. contr. 1. p. 180. seqq.  
Dolendum verò est maximè, quod Reformati ex humano cere-  
bro de promptis speculationibus, adeò crassè philosophentur,

ut etiam similibus iis, (quæ tamen minimè quadrant ad rem.) suū explicare *Extra*, ac unionē personālē, nō ut mysteriū, sed quasi rē physicè tractandā, haud supersedeāt illustrare. λόγον siquidē humanæ naturæ unitū, conferunt alii cū gēma inclusā annulo, alii cū corpore solis conjuncto orbi suo, cū Oceano alluente Antverpiam, cum lineā tangente circulum in uno puncto, cum animā pedibus unitā. Item cum radice conjunctā frondibus in arbore, cum capite exerto per fenestram, quod tamen nihilominus corpori unitum manet, licet ultra corpus extendatur. Sed quis est, qui non videat, hujusmodi similitudines, si sub examen vocentur, tantū abesse, ut illustrent unionem personalem, ut potius eam destruant, & non nisi partialem, inadæquatā & impropriam unionem personalem introducant? Temporis non fert ratio, sub examen eas vocare. Nos certò credimus, & constanter profitemur, *ut caro non est extra λόγον, ita nec λόγον esse extra carnem post factam unionem hypostaticam τῷ λόγῳ & carnis, ita tamen, ut nec caro immensa sit, nec λόγος includatur, finiatur, vel circumscriptus sit, sed & illa finita, & hic infinitus permaneat.* Quemadmodum id multis, & firmissimis rationibus orthodoxa evincit antiquitas, & perpetua orthodoxæ Ecclesiæ doctrina. Hoc loco palmaria sufficiant argumenta, quibus nostra sententia probabitur satis, & Calvinianorum periculosum, impiumq; profligabitur **EXTRA.**

Κατασκευή

Producimus autem, bono cum DEO, primò *testimonium Apostolicum*, ut fundamentum nostræ quæstionis, ex Coloss.c. 2. v. 9. ubi dicitur: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, in ipso [Christo,] inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, sive tanquam in proprio corpore aut templo. Quod dictum talem nobis suppeditat syllogismum.

*Quodcunq; totum habitat in corpore σωματικῶς, tanquam in suo tēplo, vi personalis unionis, id non est extra illud corpus suum. Sed tota plenitudo Deitatis τῷ λόγῳ habitat in corpore σωματικῶς, tanquam in tēplo suo vi personalis unionis, E. tota plenitudo Deitatis τῷ λόγῳ nō est extra illud corpus suum, adeoq; ὁ λόγος non est extra carnem suā. Major est extra omnem controversiam. Tollunt enim se invicem*

cem

eum simul inhabitare corporaliter, & simul esse extra corpus,  
 quod inhabitatur Minor verò est Apostoli, cujus verba de solo  
 Christo θεανθρώπῳ intelligenda sunt. Dixerat enim Paulus de re-  
 conciliatione & pacificatione per sanguinem & mortem Chri-  
 sti factâ. Unde concludit nos per solum Christum posse com-  
 pletos seu perfectos reddi, citra ullum vel legis, vel Philosophiæ  
 adminiculum. Quod inde probat, quia in Christo habitat om-  
 nis plenitudo Deitatis corporaliter. Quibus ex verbis unio de-  
 scribi solet, quod sit personalis inhabitatio τῷ λόγῳ, totiusque  
 plenitudinis divinitatis ipsius in naturâ humanâ assumptâ, tan-  
 quam in proprio corpore, vel templo. Si igitur λόγῳ totus ex-  
 istit extrâ carnem, (ut volunt Reformati,) sequitur, quod illic,  
 ubi extrâ carnem existit, non inhabitet carnem suam σωματικῶς,  
 tanquam corpus suum. Ubi enim non existit caro, ibi σωματικῶς  
 inhabitari nequit Si autem λόγῳ alicubi non inhabitat carnem  
 suam σωματικῶς, sequitur porro λόγον alicubi carni non esse u-  
 nitum personaliter, quod absurdum & Nestorianum est. Erit  
 enim λόγῳ solus & absq; carne, si eum non habebit semper præ-  
 sentem, & caro separata erit ἀ λόγῳ, quia λόγῳ totus absque  
 carne & extra carnem existere statuitur. *Quod si autem hoc non  
 est solvere Jesum, fateor me ignorare quid sit solvere Jesum, quem ad-  
 modum antiquitus legebatur in 1. Ep. Joh. c. 4. v. 23, exclamat B. Men-  
 tzerus, Art. 3. Exeg. Aug. Confess. p. 79!*

Argumentamur II. *Ab indole Ἐν σαρκώσεως.* Nullus enim  
 Calvinianorum negat, λόγον esse incarnatum.

*Quicumq; totus est incarnatus, ille totus non est extrâ carnem post  
 factam ἐν σαρκώσιν. Atqui totus λόγῳ est incarnatus, E. totus λόγῳ  
 non est extrâ carnem post factam ἐν σαρκώσιν.*

Major non postulat probationem, incarnatio n. infert τὸ εἶναι  
 ἐν σαρκί, ut constat ex 1. Tim. 3. v. 16. 1. Joh. 4. v. 2. & ipsa docet ratio.  
 Minor negari nequit, totus n. λόγῳ est ἐν σαρκώθεϊς Joh. 1. 14. Quia  
 totus λόγῳ toti carni & tota caro toti λόγῳ est unita, & non  
 pars parti, cum λόγῳ partes extra partes non habeat. Hinc fit ut  
 ubicuncq; caro est, ibi λόγῳ sit, & ubicuncq; λόγῳ, ibi & caro  
 sit, nec λόγῳ sine carne, nec caro sine λόγῳ, sed λόγῳ cum car-  
 ne & in carne & cum λόγῳ & in λόγῳ caro sit ac permaneat. *Quæ*

Admodum plurib. id docet Dn. D. Balduinus in Disp. pro Aureo-  
lo visitationis Misnicæ libello, disp. 4. thes. 110. seqq. quibus cum  
conferatur Disputatio Dni Parentis de Deo in carne manifesta-  
to, hîc loci pro Licentiâ defensa Anno 1624. Quamprimùm i-  
gitur λόγος alicubi ponitur sine carne suâ, rumpitur unio, divi-  
ditur Christus, separantur naturæ, & quod affirmatur, negatur.  
Qui enim extra carnem est, ille profectò ubi extra carnem est, i-  
bi non adest incarnatus.

*Argumentamur III. Ab indole & naturâ totalis unionis.*

*Quæcumq; totaliter unita sunt, ea intimam ac mutuam habent ἀδια-  
σάσιαν, ita ut unum nequeat esse extra alterum. Sed λόγος & huma-  
na natura Christi, totaliter unita sunt, E. λόγος & humana natura  
Christi intimam ac mutuam habent ἀδιασάσιαν, ita ut unum neque-  
at esse extra alterum.*

Majorem firmat necessarium totalis unionis requisitum, quod est  
intima ac mutua presentia eorum quæ inter se uniuntur totaliter, ita  
ut unū nō sit extra alterū. Deinde constat ex termino unionis to-  
talis ac realis, qui est unum indivisum, quod absq; intimâ & mu-  
tuâ ἀδιασάσιαν unitorum constitui nequit, nisi admittere velimus  
contradictionem in adjecto. Esset n. idem indivisum & divisū,  
illud ratione unionis, hoc verò, ratione disjunctionis. Illustrari  
etiam totalis solet unio, exemplo ab animâ, quæ totaliter uni-  
ta est corpori, desumpto, ut quamdiu manet unio animæ &  
corporis, nec anima extra corpus, nec corpus extra animam sta-  
tui possit, & quod unio desinat, quamprimùm anima extra cor-  
pus constituitur. vid. suprâ citatum Examen doct. Reform. Ma-  
gnifici Dni Præsidis, p. 198.

Minor propositio est evidens ex argumento præcedenti, si enim  
τοῦ λόγου est ἐν σαρκὶ, utiq; λόγος & humana natura totaliter  
erunt unita.

*Urgemus IV. Humane nature tum assumptionē tum subsistentiam.*

*Quorum unum assumptum est in ὑπόστασιν alterius, & quidem ἀδια-  
γέτως, ἀχωρίως, ἀδιαλύτως, ἀδιασπάσως & ἀδιασάτως, ita ut unam  
constituant personam σύνθετον, adeoq; unam habeant subsistentiam,  
eorū unū nequit esse extra alterū. Sed humana natura ita assumpta est  
in hypostasin τῆς λόγου. E. humana natura est, ubi est ὑπόστασις τῆς λόγου,  
nec*



nec λόγος est extra assumptam naturam.

Majoris ratio claret, n̄i velimus indivisa dicere divisa, inseparabilia separabilia &c: & quod attinet ad ἐνύπαρξιν seu subsistentiam, ipsa evincit ratio, naturam non posse extra suam subsistentiam existere. Hinc B. Mentzer. in Martin. ἐλεγχοῦ: disp. 5. th. 150. Pone, inquit, ὑπαρξιν extra suam ὄσιν, & qualis erit subsistentia? Quatenus enim extra carnem subsistit ὁ λόγος, eatenus est persona simplex, nempe sola divinitas, ut Martinus loqui solet, At qui sola divinitas non est Christus, & sola Deitas non potest mori. Quare ὁ λόγος extra suam carnem, quatenus extra, non est Christus, non est mediator, non est pro nobis passus & mortuus. Minor extra omnē controversiam est, & quod subsistentiam concernit, elucescet ea ex quaestione sequenti. Constat etiam ex descriptione unionis, quae est inseparabilis, indistans, inconfusa & aequalis conjunctio & unio duarum integrarum naturarum in unam hypostasim; & participatio mutua naturarum de se invicem in unā personā, tam verā proprietate participationis, quā verē pueri de naturā humanā participant. Vid. Admodū Reverendi & Magnifici Dn. D. Hulsemanni Patroni ac Promotoris mei filiali pietate amplectendi, extens. breviar. Theol. c. 7. thes. 7. &c.

Quintò & ultimò, militant pro nobis 1. *Scriptura silētiū*. Novū n. & commentitium ac universae scripturae sacrae planē ignotum est Calvinianorum extra. Nullus etiam quotquot defensores illius extiterit, sacris è literis verē & expressē, imò ne per bonam quidem consequentiam monstrare potuit, totam τὴν λόγος Deitatem, extra naturam assumptam existere. 2. *Multa absurda*. Si enim humana Christi natura non est praesens ubique cum divina, sequitur, quod non totū Christū habeamus in terris praesentē, sed dimidum Christum; non enim divina tantū sed & humana Christum natura constituit. Et si totus λόγος est extra carnem, totus etiam extra eā adorabitur, totus extra eā operabitur imò & caro erit extra λόγον & Christus erit persona duplex, quae omnia sunt ἀτοπα. Quamplurima absurda alia & vel cogitatu blasphema inde emanantia, Collegit B. Hutter. loc. Theol. c. 2. p. 140. Mentzer in resp. ad object. Martin. p. 457. & Magnus Dn. Praeses l. c. p. 218. Item Luc. Osiand. in Enchir. Contr. c. 4. q. 4. p. 188.

Argu

Argumentorum quibus pugnant Calviniani, *Primum*, ex finitate humanæ naturæ, & infinitate τῷ λόγῳ, hunc in modum cōcludit: *Finitum non est capax infiniti. Humana Christi natura est finita, E. non est capax infiniti. E. non est prasens ubiq, cum λόγῳ, Ergò λόγῳ est extra carnem.* Sed cum B. Meisnero in magno pietatis Myster, de Deo in carne manifestato, Theol. C. I. miserrimum hoc vocamus argumentum. Nam [1] rationis speculatio opponitur articulo fidei [2] Si finitum nō est capax infiniti, cur in Christo dicitur habitare tota plenitudo divinitatis? Coloss. 2. v. 9. Et quomodò caro facta est particeps infinitæ ὑποστάσεως τῷ λόγῳ. Cur sanctissimi Patres scribunt animam Christi χωρεῖν capere totum λόγον? Cur Epiphanius Christi carnem nominat δοχεῖον θεότητος, *receptaculum Deitatis?* Cyrillus *indumentum*, Athanasius *amiculum?* Annon etiam infinitus Deus à finitis sanctis suo modo capitur? in quibus ipse habitare dicitur: Joh. 14. 23. 1. Cor. 6. 19. Apoc. 13. 20. Quare [3] explicanda est æquivocatio, quæ latet in vocabulo *capiendi*. Aut enim sumitur pro locali inclusione, & sic finitum non est capax infiniti, aut pro solâ μετοχῇ vel possessione, & sic finitum esse capax infiniti, adducta scripturæ loca luculenter ostendunt. Wendelinus Christ. Theol. l. i. c. 16. invictū (ut ille quidem judicat) ratiocinium profert, quod ita habet: *Quicquid intra finitum ita est, ut extra id simul non sit, id finitum est. At divina Christi natura non est finita, E. Sed minimè invictum est.* Majoris falsitatem prodit instantia, si subsumatur de ὑποστάσει τῷ λόγῳ, quæ sanè finita censerī nequit, & tamen ita est intra humanam naturam finitam, ut simul non sit extrà carnem. Siquidem τῷ λόγῳ ὑπόστασις cum sit ipsius humanæ naturæ hypostasis extra eandem statui nequit, nī hypostasin extra rem esse, cujus est hypostasis, admittere velimus, & quidem localiter. Proinde limitamus majorem propositionem. Quicquid intrà finitum ita est *circumscriptivè* ut extra id simul non sit, id infinitum non est. Hoc igitur pacto, negatur minor. Et si enim λόγῳ est in carne, *circumscriptivè* tamen non est in carne, seu ita, ut ob essentiæ circumscriptionem non sit extra eam. Cum n. unio non sit localis aut naturalis, nullà etiam hīc opus est vel circūscriptione, vel ambitu carnis. Et sicuti finita caro non evadit in-

finito

fnita, quanquam subsistit in infinitâ personâ: Ita infinitus λόγος non evadit finitus, quanquam in eâ subsistit humanitas finita, quam ubiq; habet ut suum proptium corpus, absq; quo nusquam est, propter inhabitationem personalem.

His missis, obvertere solent Reformati *statum ex incarnationis, conceptionem in utero Mariae & separationem anime à corpore in triduo mortis quod neq; tum temporis, neq; à primo conceptionis momento fuerit praesens omnibus creaturis caro Christi, sed in uno tantum loco, divina a natura seu λόγος fuerit ubiq; extra carnem.* Sed responsi loco habeant, confundi ab iis τὸ κεινόμενον. Distingvendum enim, inquit, Magnificus Dn. Præses l. c. p. 211. inter *praesentiam intimam τῷ λόγῳ ad carnē, & carnis ad λόγον, quæ multis locorum διασήμεσι & intercapedinibus tollitur; & praesentiam extimam carnis ad creaturas.* Jam de illâ quaestio propriè est, cum disquiratur *an λόγος post factam unionem unquã sit extra carnem, non verò an caro semper omnibus creaturis praesens fuerit inde à primo incarnationis momento?* Conferatur plur. Reverendi & Magnifici Dn. D. Scharfii Exercit. Antical. disp. 23. thes. 16 q. 3. ubi magnam esse differentiam monet, *inter ἀδιασχιαν carnis & extimam propinquitatem, quâ Christus dicitur adesse creaturis. Illam intra personam filii Dei tantùm considerari, neq; ullum ad creaturas respectum habere. Hanc verò foràs progredi & ad creaturas extendi. Illam post factam unionem necessariam & invariabilem esse, Hanc in liberrimâ voluntate consistere.*

Instant, *à praesentiâ τῷ λόγῳ extra uterum virginis sic colligentes: Quicquid in incarnatione fuit extra uterum virginis omnipraesens, illud etiam extra carnem fuit. Sed λόγος in incarnatione extra uterum virginis fuit omnipraesens, Et etiam extra carnem fuit.* Minorem probant, quia caro alibi non fuit, quàm intra uterum virginis, λόγος verò in omnibus locis extra uterum. Sed cur minorem probant, quæ probatione non indiget, majorem verò non probant, quæ falsissima est. Quasi verò unum idemq; esset, *extra uterum virginis esse, in quo λόγος carnem hypostaticè assumpsit, & extra carnem propriam esse!* Illud concedimus de λόγῳ, hoc verò negamus. Non enim cum utero virginis, sed cum carne suâ, unam constituit personam. Deinde duplicem subit considerationem caro λόγῳ incarnati. (1) *in se & per se consideratur ratione ὁσίας & actus naturalis, quâ consideratione ante nativita-*

B

tem

tem extra uterum non fuit. Et hoc respectu tribuuntur ei, quæ cum fratribus communia habet. (2) *Ratione & respectu subsistentia in λόγῳ & prerogativarum*, quas per unionem personalem præ fratribus habet. Quo respectu est unum quoddam ὑφιστάμενον ἀδιαίρετον cum λόγῳ, & non solum in utero, sed etiam extra uterum virginis fuit, ubi ubi ὁ λόγος fuit.

Urgent etiam *unionem Dei cum sanctis*. Quod sicuti ex inhabitatione ejus in sanctis non fluit sanctorum omnipresencia; ita neq; ex hypostatica unione sequatur carnis omnipresencia; sed potius quemadmodum Deus extrâ sanctos & creaturas est, ita etiam λόγος est extra carnem. Verum longè diversa est ratio unionis παραστατικῆς, secundum quam Deus in sanctis, & unionis ὑποστατικῆς secundum quam λόγος in carne habitat. Illa solubilis, hæc indissolubilis, illa sanctis rebus, hæc soli assumptæ humanitati convenit. Illa in præsentia tantum gratiosa, hæc in ὑποστάσεως unitate consistit, propter quam infinita λόγος subsistentia, est quoq; ipsius carnis subsistentia, ita, ut quemadmodum caro nequit esse extra Deitatem sic etiam λόγος nequeat esse extra assumptam humanitatem. Unitur quidem cum sanctis Deus, sed non totaliter. Uniuntur sancti cum Deo, sed non personaliter. Sunt in Deo, sed non subsistunt in Deo, quam ob causam argumentari ab unione Divinâ cum sanctis ad unionem personalem non licet.

Tandem sicuti anima inquit, unita est cum pedibus, pedes autem ubi anima est ibi semper non sunt, ob istam unionem: Sic neq; caro etsi unita est cum λόγῳ, ibi semper est, ubi est λόγος. E. λόγος est extra carnem. Sed confundunt unionem partialem cum totali, vel obiectum unionis inadæquatum cum adæquato. Pedes nō sunt unionis obiectum adæquatum, quo de nos loquimur, nec unio animæ cum pedibus totalis est, quæ hic intelligitur. Quippe quod non anima & pedes, sed anima & corpus uniantur ad constituendum hominem, quæ duo obiecta sunt adæquata. Hinc fit, ut nullibi queat esse anima, ubi corpus, & corpus, ubi anima; quamdiu non rumpitur unio.

Reponunt verò exceptiunculam hanc: *Caput & pedes unita sunt in uno corpore, nec tamen sequitur, quod rumpatur unio, etiamsi caput ibi non sit, ubi pedes existunt & vice versa*. Resp. i. unionem capitis & pedū nō quadrare ad unionem personalem, & probandum esse, quod caput & pedes propriè dictam habeant unionem & conjunctionem, de

de cuius naturâ & indole in præcedentibus locuti sumus. (2) Distingvimus inter *ubi internum & externum*, inter *locum communẽ & proprium*, vid B. Meisn. Phil. Sobr. part. 1. f. 4. q. 2. p. 981. sequitur,

QUÆSTIO II.

*Vtrum hypostasis Filii Dei verè ac realiter communicata sit assumptæ humanæ naturæ, adeò ut humana natura subsistat hypostasi Filii Dei, ejusq; actu personali gaudeat, nec ne?*

Negativam amplectuntur Calviniani, & sicuti totius τῷ λόγῳ præsentiam extra carnem (ut ex præcedenti apparet quæstione) in congruis & ineptis planè similibus contendunt defendere: Sic otiosi nō sunt, quò minùs nostræ etiam doctrinæ de communicatâ τῷ λόγῳ hypostasi assumptæ humanæ naturæ obvertant, tum minimè convenientia similia, tum alia, quæ cum sacris pugnant oraculis, & toti orthodoxæ Ecclesiæ adversantur. Martinius libr. de pers. Christ. adversus B. Mentzer p. 571. Ita esse communicatam inquit, hypostasin filii Dei, ut Dei filius huic in se sustentanda & gerenda se supposuerit, sicut cum fulcrum supponitur structuræ alicui, ut firma & ordinata consistat. Alii comparant assumptam naturam cum surculo in λόγῳ plantato, nonnulli cum organo quo utitur λόγῳ, sicuti anima brachio suo. Quid verò de hisce sentiendum sit similibus. B. Mentzer. in Martinio ἐλεγχοῦ. disp. 2. th. 10. & 17. Disp. 4. thes. 70. ubertim explicat. Item beatus Chemnitius libr. de duab. naturis in Christo, c. 2. ubi prolixè agit de his similitudinibus quæ huc spectant, & examinat eam, quæ desumpta est à ramo insito.

Pugnant verò adversus Sacram scripturam, & orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam ii Calviniani qui *monstruosam* appellant *verborum formam*, cum dicitur λόγῳ hypostasin suam realiter communicasse carni, ut facit Jos. Grabius l. 1. de Pers. Chr. adversus D. Hunn p. 49. & qui docent, ab humana naturæ in hypostasin τῷ λόγῳ assumptione ad communicationem ὑποστάσεως non valere consequentiam, ut facit Wendelinus l. 1. Christ. Theol. c. 16. & falsò asseri, quod caro subsistat, subsistentiâ τῷ λόγῳ, rectèq; negari, naturam humanam habere personalitatē divinam, id quod passim ex eorum scriptis satis est evidens.

Nos in præsentī, cum quæstio agat proposita de communicatione

hypostaseos, antequam ad alia progrediamur, nonnulla quæ ad sequentium faciunt cognitionem præmittenda iudicamus. Et primò quidē *communicatio quid sit*, Deinde ad *quanam facta sit* explicabim⁹.

Est autem *communicatio hypostaseos*, quâ subsistentia τῷ λόγῳ propria, naturæ humanæ Christi verè & realiter confertur ad communē *participationem*: Ita ut non minus verè jam sit humanitatis ὑπόστασις, quàm ipsius λόγῳ tametsi divinæ naturæ λόγῳ primariò & per se, humanæ autem *secundariò* & κατ' ἄλλο seu propter unionem personalem competat, adeo quæ λόγῳ perpetuò sit & maneat propriissimā, licet participetur ab humanâ naturâ à λόγῳ assumpta.

Est autem *communicatio & participatio hæc facta ad realem possessionem, usurpationem, & denominationem*. Ad *possessionem*: quia caro quæ in se & per se expers est propriæ subsistentiæ, verè ac realiter possidet ipsam hypostasin Filii Dei eademquæ; gaudet ceu suâ hypostasi, quippe sibi concessâ, non per transfusionem, sed per *communicationem Mysticam & ineffabilem: verissimam tamen & realissimam*, adeo ut quàm verè Johannes vel Andreas habet subsistentiam humanam, per naturam, tam verè caro Christi habeat subsistentiam divinam τῷ λόγῳ per sublime mysterium supra omnem naturam. Ad *usurpationem*: quia vi communicationis hujus natura humana actu personali Filii Dei reapse gaudet, nec aliâ quàm ipsius Filii Dei subsistentia actu ipso fruitur, eademque subsistit, non ceu persona aliqua prout Filius Dei subsistit cujus est propriâ subsistentiâ subsistere, sed ceu natura ὑποσῶσα vel personata quæ in hypostasin Filii Dei recepta, non nisi hypostasi Filii Dei subsistit. Ad *Denominationem*, nō ut inde humana natura dicatur hypostasis vel ὑφιστάμενον, subsistētia aut persona, dicatur (non n. facta est ὑπόστασις aut persona, sed ὑπόστασις Filii tantū facta est hypostasis humanæ naturæ) verum ut dicatur ὑποσῶσα ἐν τῷ λόγῳ & ἐνυπόστατος, personata, & subsistens in persona Filii Dei: Modus siquidem dicendi sequitur modum essendi. vid. plur. Reverendi & Magnifici Dni. Præsidis contr. 2. sect. 2. libr. de Pers. Christ. p. 277, & seqq.

Κατασκευή.

His prælibatis, progredimur ad nostræ sententiæ probationem, & ne obverant nobis adversarii, eam in sacris literis nullum habere fundamentum in quo consistat, & ex quo deduci ac confirmari queat (1) *tria urgemus Scriptura dicta*: Primum desumptum est ex Joh. c.

I. V. 14.

1. v. 14. ubi dicitur: ὁ λόγος σαρκὲς ἐγένετο. *Verbum caro factum est*, h. e. Deus factus est homo. Unde ita argumētamur: Si ὁ λόγος factus est caro aut caro est in λόγῳ ἐνυπαρκτικῶς, aut subsistit ἀνυπόστατως aut ἐνυπόστατως. Sed non est in λόγῳ ἐνυπαρκτικῶς, ita ut ipsi inhæreat, hoc enim accidentium est proprium naturæq; substantiarum è diametro contrarium. Neq; subsistit ἀνυπόστατως, ita ut propriam personalitatem obtineat, sic n. duæ in Christo personæ essent, id quod Nestorianum. E. caro Christi subsistit in persona Filii Dei ἐνυπόστατως, hoc est, persona Filii Dei mediante unione ipsi communicata est. Si itaq; vi huius dicti, assumpta humana natura subsistit in persona Filii Dei, utique actu ejus personali gaudet, nec planè ἀνυπόστατος est.

Alterum dictum, quod militat pro nobis, desumptum est ex Coloss. 2. v. 9. quem locum B. Chemnitij l. c. valdè illustrem hypostaticæ unionis descriptionem appellat. *In ipso habitat tota plenitudo divinitatis σωματικῶς*, hoc est, non tantùm effectivè, sicut in sanctis, sed per essentiam. Non autem sicut essentia implet cœlum & terram, sed ita, sicut in corpore habitat anima, nec mixtim, nec divisim, quemadmodum Oecumenius exponit vocabulū σωματικῶς, qui dicit idē esse atq; ἐνσαρκῶς h. e., quod in assumptâ carne inhabitet, & quod unam deinceps cum propriâ carne hypostasin habeat, ex duabus diversis naturis constitutam. Nostrium argumentum ex verbis Apostoli sit tale: In quo inhabitat λόγος cum totâ suâ plenitudine σωματικῶς, illud etiam habet λόγος ὑπόστασιν. Sed in assumptâ carne inhabitat λόγος cum totâ suâ plenitudine σωματικῶς, E. assumpta caro habet etiam hypostasin ἢ λόγος, & per consequens non est ἀνυπόστατος, sed ἀλόγως accepit suum εἶναι ὑπόστατικόν. *Tertius locus* desumptus est ex Hebr. c. 2. v. 14. ubi λόγος dicitur: particeps factus esse carnis & sanguinis, similiter ut pueri particeps sunt, Hinc ita concludimus: Si Filius Dei similiter ut pueri (ad quorum substantiam caro & sanguis pertinet) particeps est factus carnis & sanguinis, seu humanæ naturæ sequitur, humanâ naturâ participè esse factâ hypostateos Filij Dei, adeoq; tū Filij Dei tū humanâ naturâ, unâ habere hypostasin. Sed verū est prius. E. & posterius. Consequentia claret, cum alioquin sequeretur, carnem & sanguinem non esse verè ipsius Filij Dei carnem & sanguinem, quod expressè contradiceretur dicto Joh. 1. Sequeretur etiam hypostaticā μετοχὴν sive participationem, non veram & realem factam esse, nec παρὰ πλῆσιν convenire per μετοχὴν carnem & sanguinem ipsius Filij Dei.

lio Dei, similiter ut pueris caro & sanguis convenit. Quæ pugnant cum al-  
lato dicto ex Hebr. c. 2. Est igitur λόγος & humanæ naturæ una hypostasis per  
veram & realem participationem ac communicationem, ut in eodem ca-  
pite epistola ad Hebr. v. 16. id confirmat voce ἐπιλαμβάνεσθαι, quando non  
Angelos inquit, sed semen Abrahamæ assumpsit Filius Dei. Significat autē vo-  
cabulum ἐπιλαμβάνεσθαι (ut explicatur à Chemnitio l.c.) duarum rerum con-  
junctionem, sine confusione, talem, ut quando aliquid apprehenditur ut  
firmiter teneatur. Filius a. Dei ita assumpsit semen Abrahamæ, non sicut Jacob  
apprehendit plantam Esau, sed ut per omnia fratribus similis fieret exce-  
pto peccato, utq; in apprehenso semine unum fieret ὑφιστάμενον. Quicquid i-  
gitur assumptum est à λόγῳ ita ut unum cum eo ὑφιστάμενον fieret, ei profe-  
ctò communicatam oportet esse τὸν λόγον ὑπόστασιν, Atqui semen Abrahamæ, h.  
e. natura humana assumpta est à λόγῳ ita ut unum cum eo ὑφιστάμενον fieret.  
E. humanæ naturæ communicatam oportet esse τὸν λόγον ὑπόστασιν, Conse-  
quentia majoris in aprico est: quum unum ὑφιστάμενον fieri cum aliquo seu  
assumi in ὑπόστασιν alterius, neget ὑπόστασιν propriam, & inferat personatio-  
nem, quæ nunquam potest esse, sine personalitatis communicatione. Mi-  
noris probatio fundata est in c. 2. ep. ad Heb. Filius a. Dei cum particeps sit  
factus carnis & sanguinis h. e. humanitatis, quæ extra essentiam suam con-  
stituta erat, non aliter quàm per unionem & assumptionem ejus in suam  
hypostasin particeps est factus, & particeps fieri potuit.

II. Urgemus *subsistentiam humanæ naturæ Christi actualem*. Cum n. caro  
Christi non sit *Non-Ens & non substantia*, utiq; necessum est, ut actu subsi-  
stat. At verò cum medium inter hypostasin propriam & communicatam  
non detur, necessum est, concedere, aut assumptam naturam hypostasi pro-  
pria subsistere, aut subsistere in hypostasi Filii Dei verè & realiter sibi cō-  
municatâ. Atqui propriâ hypostasi non subsistit, forent enim aliàs duæ per-  
sonæ in Christo. E. consistit hypostasi Filii Dei sibi communicatâ tam verè  
& realiter, quam verè & realiter in illâ subsistit, & quàm verè & realiter  
cum Filio Dei est unum ὑφιστάμενον.

III. *Rationem formalem, quâ Christus dicitur unus.* 1. Tim. 2. 5. Eph. 4. 5.  
Luc. I. v. 35. 1. Cor. 8. v. 6. Non a, à compositione duarum personarū in unâ, neq;  
à coalitione duarum personarum in unam, neq; ab influxu & immeatione  
personalitatis divinæ in humanam Christi naturam, sed ab unitate personæ  
Christus dicitur unus. Ita docet celeberrimus Dn. D. Hülsemannus, Extens.  
brev. in suppl. c. 7. th. 9. Formale igitur rationē quâ Christus dicitur unus, hy-  
postaseos unitatē dicim⁹, quia per subsistentiâ est unus, si una est persona, nō



v. per essentiam, quæ in eo est gemina, ut loquitur Magnificus Dn. Præses  
 l. c. p. 291. Proinde illa una hypostasis vel dependet à naturâ divinâ, & car-  
 ni realiter est communicata, vel à naturâ humanâ & λόγῳ est communicata,  
 vel ab utraq; dependet. Non a. à naturâ humanâ, quia (1) caro non est ἀυτο-  
 πῶσατ & aut persona, nec λόγῳ est ἐνυπόσατ, sed persona. Caro enim assum-  
 pta est à λόγῳ, non λογῳ à carne, (2) Quia sic imperfecta fuisset ὑπόσασις τῆ  
 λόγῳ, ante incarnationem, cum tamen λόγῳ modo perfectissimo ab æter-  
 no substiterit ut persona, caro a. intempore & existere cœperit & subsistere.  
 Nec ab utraq;, quippe cum tertia quædã hypostasis è carnis & λόγῳ ὑποσάσει  
 oriri non potuerit, quoniam caro propriam subsistentiam non habet, aut si  
 habet (quod tamen nullo modo l. congruit cū sacris literis, vel probari ab  
 adversariis potest) qui posset illud impossibile salvari, quod ex pluribus in-  
 cōmunicabilibus, & personis distinctis unum prodire possit incōmunica-  
 bile, unaque persona. Deinde divina λόγῳ ὑπόσασις simpliciter est immuta-  
 bilis, unde in tertiam aliquam personalitatem λόγῳ & carnis hypostasin  
 coivisse ἀπλῶς est impossibile. Sequitur ergo, quod unica illa quâ de loqui-  
 mur, hypostasis dependeat à λόγῳ & naturam humanam propriâ personali-  
 tate destitutam, in hypostasin, τῆ λόγῳ, receptam esse, adeoque divinam ei  
 subsistentiam, verè & realiter communicatam, rectè dici.

IV. Tum effectum communicatæ hypostaseos, tum propositiones quæ humane  
 nature competunt, personales. Quæcunque natura propriæ subsistentiæ ex-  
 pers, vi tamen quâ subsistit personalitatis, & ἀξιώματα obtinet divina, & a-  
 ctiones edit divinas, ei oportet communicatam esse divinam hypostasin, sed  
 natura humana propriæ subsistentiæ expers, dicitur enim ὑποσάσα, seu perso-  
 nata, vi tamen, quâ subsistit personalitatis, singularē n. sortita est modum  
 subsistendi ex unione personali, & ἀξιώματα obtinet divina, & actiones edit  
 divinas, de quibus plenæ sunt sacræ literæ, E. humanæ nature oportet cō-  
 municatam esse divinam hypostasin, scil. τῆ λόγῳ. Propositiones verò perso-  
 nales quod attinet, ut sunt Deus est homo, & homo, est Deus, Filius hominis est  
 Filius Dei & vice versa, vid. Jer. 23. 5. & 33. 15. Matth. 16. 16. Matth. 22. 43. Earū ve-  
 ritas corrueret profectò, nī Filius Dei in unitatem personæ suæ humanâ as-  
 sumpsisset naturā, eidēq; suā personalitatē cōmunicasset. Falsæ a. non sunt,  
 quia à Sp. S. prolatae sunt. Addere possemus, tū Patrum ὁμοφισίαν, & reforma-  
 torum quorundam propriam confessionem, tum varia etiam absurda, sed  
 properamus ad confutationem argumentorum, quæ in contrarium nobis  
 obtruduntur ad Adversariis.

Ἀνακειμή.

Maresis, Martinius, Wendelinus & alii (1) obvertunt incommunicabilitatē

*Subsistentia.* No sex illorum verbis tale colligimus argumentum: *Quicquid est incommunicabile, illud communicari nequit alteri. Subsistentia personæ est incommunicabilis, E. communicari nequit alteri, adeoq; substantia τῷ λόγῳ humanæ naturæ communicari non potuit.* Resp. ad major: limitando: *Quicquid omni respectu est incommunicabile, illud communicari nequit, quo pacto minorem negamus.* Aliud enim est incommunicabile esse respectu ad aliam personam, aliud autem respectu ad aliam naturam. Illo modo concedimus naturam hypostaseos non pari ut cōmunicetur alteri, *Has a. ratione nō cōcedim⁹, quod hypostasis dicat incommunicabilitatē, cū citra contradictionem naturæ alteri possit communicari, ut docetur in Metaphysicis,* Sed instant: *Si substantia formaliter communicata esset carni Christi, non tantum deberet esse pars, vel adjunctum illius personæ, sed persona ipsa.* Resp. Absurdè dicitur humanam naturam esse partem τῷ λόγῳ, quia idem esset ac si dicerem, corpus est pars animæ. Absurdè quoq; dicitur humanam naturam esse Adjunctum τῷ λόγῳ absq; participatione hypostaseos. Quam controversiam enodavit B. Meisner. part. 1 Phil. Sobr. s. 1. q. 4. p. 113. Non tamen sequitur inde quod persona sit, eò quod participativè habeat substantiam τῷ λόγῳ, sed potius ideò persona non est, eò quod substantiam non habeat independentem, & ἀνυπόστατος. Ut verò obtineant Adversarii nostrâ doctrinâ sequi, humanam naturam esse personam, sic argumentantur, *Cui naturæ propriè loquēdo cōmunicata est personalitas hæc eo ipso facta est persona, atqui natura Christi humanæ propriè loquendo communicata est personalitas. E. natura Christi humanæ facta est persona.* Ita colligit Martinius in Mentzer, Antim. p. 10. Sed majorē sine omni dubio falsam esse, quis est, qui non videt? Proinde sic eā corrigendā esse B. inquit Mentzerus, in Martin. ἐλεγχου. d. 4. thes. 65. Cui naturæ propriè loquendo communicatur personalitas, hæc eo ipso personatur sive subsistit. Nam cui datur forma, illud non fit ipsa forma sed formatur, sive est formatum. Natura per humanitatem non ipsa fit humanitas, sed homo. Per substantiam non fit ipsa substantia, sed subsistens: Et sic humanitati Christi propriè loquendo communicata Dei hypostasis non facit, ut humanitas sit hypostasis, sed ut in hypostasi subsistat. Nonnulli rectius dici contendunt, *carnem Christi sustentari à λόγῳ, ne in nihilum redigatur, quàm subsistere in personâ τῷ λόγῳ.* Verum si hoc largiremur Calvinianis, sequeretur omnes creaturas λόγῳ personaliter unitas esse: Omnes nāq; à λόγῳ sustentantur, ne in nihilum relabantur. Act. 17. v. 28. Act. 1. v. 3 Col. 1. 17. Præterea nemo mente assequi potest suâ, quippe planè contradictorium, assumptam carnem in se ἀνυπόστατον subsistere substantiâ τῷ λόγῳ, & tamen λόγον non communicasse carni assumptam hypostasin. Plura quæ addi possent, ad publicum reservamus discursum. Deo interim sit gloria sempiterna.

05 A 423

ULB Halle

3


004 208 730



V317  
M.







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



JESU.  
IO  
ERSIÆ  
E INTER ECCLĒ-  
REFORMATOS  
TÆ

PERSO.

carptim expositam  
DIO  
MAGNIFICI, AMPLIS-  
TISSIMI,

CALOVII,  
Publ. in florentissimâ  
clesiæ ibidem Pastoris  
esiastici Assessoris Gra-  
is Superintendentis  
e meriti.

æceptoris sui optimi,  
jori, Horis matut.  
publico  
LER, Hamburgens.

RGÆ  
AKEN, An. 1656.

